







Blank page with faint blue ink markings.

9

1.
-
2
3
4
5
6
7



1752.

1. Buchnerus, Andreas Elias : De olfactus ad capienda signa
usu.
2. Buchnerus, Andreas Elias : De oculo ut signo.
3. Buchnerus, Andreas Elias : De ore ut signo.
4. Carrach, Joannes Philippus : De interpretatione legum
imperii fundamentalium in principis mundationis
dicuntur analogiam cum superioritate territorii.
5. Carrach, Joannes Tobias : De emendanda litium pro-
tractione circa appellationes ventuales.
6. Eberhardus, Joannes Petrus : Inventionum theoria
physica geometricè demonstrata.
7. Ellenberger, Fridericus Guilielmus : De interdito sollicite
a philosopho inculcand : ne jures in verba ma-
gistri

- 8^{a. t.} Mevler, Philippus Tacitus : De justis poenarum
mitigandi causis in criminibus. 2 Sumpl. 1782. 174.
9. Fels, Franciscus Christophorus : De caerimoniis
10. Knorre, Ernestus Fredericus : De vera natura ac
instale contractus cambialis in cautis Trassa-
to.
11. Langus, Joannes Joachimus : Dissertatio inang. phil
matematica sistens theorematis pythagorici demon-
strationes plures.
12. Meier, Georgius Truverens : De interdicto sollicito
a Philosopho inculcand : ne jures in verba
magistri.
- 13^{a. t.} Nettelbladt, Daniel : De successione expectativorum
in feudum apertum. 4 Sumpl.
- 14^{a. t.} Nettelbladt, Daniel : De necessitate ejusque in jure
effectu. 2 Sumpl. 74. 1. 74. 2.

15. Schepher, Hermanus Gouped : De jure liberorum vivis
parentibus sui juris factorum respectu successionis
in bona parentum.
- 16^a. Heibitzius, Joannes Fredericus : Praescientiae rei demon-
stratio atque a perit. L. B. de Hallberg objectionibus
vindictae.
17. Weberus, Christianus : De origine essentialium.
18. Wideburgius, Fredericus : Examen consortii imperialis
inter Ludovicum IV. Bavaram et Fredericum Austri-
arum Regem.
19. Zachariae, Gulhelmus Traugott : De propagatione religionis
armata.



BB. LVIII. No. 23. ~~LXXIII. No. 67.~~

1d
1752

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TREMORE ARTVVM
EIVSQVE CAVSIS

23
QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. VII. SEPT. A. S. R. c1o1occlii.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IVLIVS IOANNES MOLLWEIDE
EGLENSIS MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

4



Ms. No. 23. ~~XXIII. No. 23.~~

DISSERTATIO IN AEGVALIS MEDICA

DE
TREMORE ARTIVM
EIVSQVE CAUSIS

AVIA
SIBI A VAPICUR SYMMI NAMINE
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
VRO DIVERSI EXCELLENSSIMO ET PARENTESSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS
PONTIFICIS ROMANI PRIVATAE REGIAE A CONSILII INTIMIS
MEDICAE ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PRAECEPTORIS
MAGISTRI ACADEMIAE NATURALIS CURIOSORUM PRAESIDE
ET COMITIS PALATII CAESAREO

PRO GRADU DOCTORIS
VNIUSERSITATIS MEDICAE A HONORARIIS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIMIS IMPETRANDIS
DE VIENNA A. 1784

IN ARMA REGIA TRIDERICIANA

ALICE DEHNERT
ACTOR
IVLIVS IOANNES MOLLWEDE
FELICIS MADDELVICVS

WILHELMUS MOBERT KOEHLER
IOHANNES CHRISTIANUS BUNDELL, KUNST-DRUCKER



PRAENOBILISSIMIS
REIPUBLICAE EGLENSIS MODERATORIBVS

VIRIS

CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS
AC PRVDENTISSIMIS

DOMINO

PRAETORI

CONSVLIBVS

CAMERARIO

ET RELIQVIS

SENATORIBVS

SPECTATISSIMIS,

DOMINIS PATRONIS AC MAECE-
NATIBVS SVIS

SVMMO VENERATIONIS CVLTV SVBMISSE PROSEQVENDIS;

NEC NON
VIR
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO HENRICO
MOLLWEIDE,

MEDICINAE LICENTIATO ET PRACTICO CELEBERRIMO,
CONSVLI CIVITATIS EGLENSIS PRIMARIO
ET COLLEGII MAGISTRATVS SENIORI AMPLISSIMO,

PARENTI SVO

EA QVA DECET ANIMI OBSERVANTIA SVBMISSE DEVENERANDO,

INAVGVRALE HOCCE SPECIMEN
IN DEBITAE SVBMISSIONIS ET PERPETVAE REVERENTIAE
MONVMENTVM

SACRVM ESSE IVBET

AC CVM VOTO PERPETVAE INCOLVMITATIS
OFFERT

IVLIVS IOANNES MOLLWEIDE.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TREMORE ARTVVM
EIVSQUE CAUSIS.



PROOEMIUM.

De eligendo themate pro inaugurali specimenne sollicito, quod non tritum esset atque vulgare, aliorumque studio iam exhaustum, tremor artuum, praeter alia quaedam, quae parum adhucdum disputata a Medicis essent, mihi occurrit. Huius enim argumenti hoc seculo duas tantum dissertationes, alteram sub Praesidio Dn. D. IUSTI VESTI, alteram a D. CHRIST. FRID. NEITHARDT, publice ventilatas novi. Superiori autem seculo, praeter illam SCHELHAMMERI, de Tremore, Ienae habitam dissertationem, & specialem tractationem CAMERARII, de tremore a cessante scabie, occurrit mihi plane nulla. Cum vero satis grave & fonticum sistat malum haec praeternaturalis

turalis artuum agitatio, dignum utique idcirco constituit argumentum, quod singulari exponatur studio. Non modo enim varios morbos ceu symptoma comitatur hic artuum tremor, sed & idiopathice non raro observatur; imo nonnumquam absque morbo, ab animi adfectibus, vel externis etiam causis, excitatur citoque transit, absque damno aliquo in sanitatem inde redundante. Cum itaque peculiari omnino dignus sit consideratione hic adfectus, veniam facile spero a B. L. me impetraturum, quod virium mearum periculum in hoc potissimum argumento faciam, ut intelligatur, quid valeant humeri, quidque ferre recusent. Quoniam vero in operis praefamine de modo ac ratione tractationis merito admonendi sunt Lectores, ut sciant, quid praestitum sit in sequentibus pagellis & quid potissimum ipsis sit expectandum, hic quoque sequentis tractationis ordinem breviter indicabo. Iam ergo dum inutilis est de morbo quodam adfectu sermo, nisi intelligamus, quid ipse sit, & quomodo differat ab aliis, ante omnia primo ratio formalis tremoris artuum erit explicanda. Sed neque hoc sufficit prudenti ac rationali Medico, qui, ut impugnet morbum, non nosse modo eundem debet & ab aliis quibusvis discernere, sed eiusdem causas quoque perspectas habeat necesse est, ut his cognitis, via pandatur ad prudentem ac circumspectam medicationem. Secundo itaque loco causae huius affectus nobis erunt explicandae; quibus illustrationis gratia tertio exempla quaedam addemus, quorum ope praemissa theoria corroborari ac confirmari poterit. Faxit modo supremum Numen, ut conamina haec qualiacunque cedant feliciter!

§. I.



§. I.



Singulas corporis nostri partes solidas tono quodam gaudere *naturali*, hoc est, elasticitate ac robore, omnes unanimi consensu fatentur Medici. Praeter *naturalem* hunc physicum tonum, *vitali* quoque *tono*, ab influxu liquidi nervei dependente, instructas illas esse, facile nobis largientur omnes, qui robur partium ab influxu liquidi nervei dependere non ignoraverint.

§. II.

Naturalis ac physicus illé tonus, cum partim ab elasticitate minimarum corporis particularum elementarium, partim a cohaesione maiore originem ducat, utrumque autem ab arbitrio nostro in corpore non dependeat, mutari quoque non poterit pro nostro lubitu ac alterari, imo & medicamentis admodum difficulter restituitur, si perditus fuerit. Fit inde, ut, qui debiles ab ipsâ sua nativitate habuere fibras, non facile fortiores acquirant, sed debiliores ac sensibiliores esse soleant per totum vitae decursum. Emergit inde quoque maxima in Medicina diffi-

difficultas tollendi morbos a debilitate toni naturalis oriundos, qui fere semper in scandalum Medicorum degenerant *). Imo nec vitalis tonus, ab influxu liquidi nervei dependens, pro lubitu nostro mutatur in variis corporis partibus, iis potissimum, quae non moventur voluntarie. Sic ventriculi & intestinorum robur vitale deperditum restituere non statim possumus, simul ac id nobis libuerit, sed artificii variis restituto liquidi nervei liberiori influxu, illud demum iterum obtinemus. Notum enim est; pleraque medicamenta roborantia tantum ob stimulum agere leniorem, a quo dein, aucto in irritatis partibus affluxu liquidi nervei, tonus quoque debilitatus redit. Inde ergo ratio perspicitur, cur ea, quae lenem salinam, cum oleoso aethereo principio iunctam, possident substantiam, stomachica sint & optime elixiriis visceralibus conveniant. Utrumque enim lenem edit stimulum ac fibrillas irritat nerveas, simulque sensationem magis excitat; huic vero liquidi nervei auctiorem motum semper esse iunctum, docet Physiologia.

§. III.

In variis autem corporis partibus tonus hic augeri potest ac minui pro lubitu ac voluntate nostra, influxu nempe liquidi nervei aucto vel imminuto. Sic si brachium vel pedem movere, si caput antrorsum vel retrorsum inclinare libuerit, augetur a volentis animae imperio musculorum has partes

*) Confer. Illustr. Dn. PRAESIDIS Dissertat. de imbecillitate partium corporis solidarum, ab imminuta earum cohaesione pendente, §. XV.

moventium tonus, sequitur constrictio musculi ac partium motus. Cum autem omnes partes, pro arbitrio mobiles, musculos habeant duplices, eos nempe qui certum partis motum efficere valent, horumque antagonistas, qui contrarium producant motum, facile hinc intelligitur, agentibus ex una parte musculis, & parte corporis ad eorum directionem inclinata, tendi oppositos musculos antagonistas. Relaxatis itaque prioribus musculis, sequitur semper aliquis motus in partem contrariam.

§. IV.

Hic tonus musculorum voluntarius si per parva temporis spatia, cito se invicem subsequantur, augetur & minuitur, orietur inde membri motus in duas partes oppositas, qui dicitur *tremor*. Ratio itaque formalis tremoris consistit in aucto tono musculorum, a liquidi nervi influxu dependente, sed subsequente statim eorundem relaxatione. Omnes itaque eae partes, quae muscularibus gaudent fibris, tremere quoque poterunt. Mirum proinde non est, ipsum quoque cor a tremore tali non esse liberum, qui misere saepe aegros vexat & pro causarum gravitate, vel ipsam quoque inducere valet mortem. Cum vero hic non omnem tremorem singularum corporis partium, sed *tremorem saltem artuum* considerare placeat, artus vero regantur musculis voluntariis; hinc, missis reliquis partibus, in quibus tremor potest excitari, eas tantum considerabimus, quae voluntatis imperio subiectae sunt.

§. V.

Per modo expositam (§. antecedent.) tremoris
B ideam,

ideam, is facile ab alio quovis morbo, inprimis autem a *convulsione & convulsivis motibus*, distingui potest. Ut enim in convulsione etiam reciprocus fit motus musculorum, is tamen non tam cito se excipit, sed diutius durat. Fit inde, ut per longius quoque spatium moveatur pars convulsa, quam pars tremens. Brachia convulsa eo usque contrahuntur, ut saepe plane incurventur; idem de toto corpore in sic dicto *emprosthotono & opisthotono* observatur. In tremore vero cum toni augmentum saltem sit momentaneum, brevis quoque via est, per quam membrum movetur. Similiter quoque satis manifesto patet eius a *spasmo* differentia. Spasmus enim consistit in auctiore tono musculi usque ad contractionem, per satis longum temporis spatium durante, in quo idcirco relaxatio tonum auctiorem non statim excipit. Neque etiam spasmus tam brevi temporis intervallo redit, & vehementius fibras constringit. Tum ab ipsa *paralyfi* vel in eo differre haud difficulter animadvertitur, quod in hac adsit quidem relaxatio musculosarum ac nervearum fibrarum, sed absque praegresso auctiore tono. Neque in paralyfi tam cito relaxatio desinit, neque a subsequente contractione excipitur.

§. VI.

Quod iam *causas* huius adfectus attinet, eae explicari atque intelligi non poterunt, nisi generaliter cognitum fuerit ex physiologicis, quaenam vitalis toni, adeoque motus musculorum omnium, generalis causa sit. Hic vero, quod iam in initio indigitavimus, cum omnibus fere recentiorum temporum

porum Medicis, qui mechanice ac rationali quodam modo explicare corporis nostri phaenomena conantur, *fluidum* assumimus *subtilissimum*, ex subtilissimis simul atque elasticis particulis compositum, quod *nervum* dicunt, sive, iuxta Veterum loquendi morem, spiritus animales. Hoc in interiori cerebri substantia vasculosa a subtiliori, in cortice, a sanguine secreta lympham separatur, & per continuatam medullarem cerebri substantiam in nervos influit, indeque musculis communicatur. Huius fluidi secretionem aucta, influxus quoque in nervos augeri debet, inde vero musculi dependet robur, hinc & hoc augeri manifestum est. Sed & idem accidere debet, directione eius in cerebro ita facta, ut versus quasdam potissimum fibras copiosius progrediatur, versus alias autem eiusdem influxus imminuatur. Ut vero ex generalioribus hisce motus ac toni causis tremoris causae speciales eo facilius possint erui ac demonstrari, singulas primo tremoris species breviter percurramus statimque eiusdem causas addeamus. Accidit enim in hac de tremore artuum doctrina id, quod in plerisque aliis pathologicis considerationibus quoque notatur, ut nihil nempe generali modo ita possit pronunciari, quod ad omnes applicari queat casus, sed pro rerum circumstantiis modo hae, modo aliae adducendae sint causae, secundum quarum diversitatem therapia dein rationalis institui possit felici cum eventu.

§. VII.

Generaliter omnis tremor artuum dividi potest in *voluntarium* ac *involuntarium*. Nemo enim

negabit, voluntarium membrorum tremorem produci posse, cum in cuiuslibet sani hominis lubitu positum sit, membra, citissime se subsequente motu, huc & illuc movere, adeoque tremoris quandam speciem effingere. Imo per experientiam abunde iam constat, quod vel a petulantioribus vel fraudulentis hominibus tales tremores, ad fucum faciendum morbumque simulandum, saepe pro lubitu excitentur. Huius vero tremoris nulla alia causa est, quam ea, qua muscoli ad animi arbitrium nutumque moventur, influxus nempe liquidi nervei ab anima in hos vel illos musculos determinatus, qui si reciproce in musculos moventes eorundemque antagonistas producat, reciprocus utique inde sequetur musculorum motus.

§. VIII.

Involuntarius tremor vero est *vel morbosus, vel in sanissimis etiam occurrit & cito desinit. Qui morbosus est, vel continuo durat, vel per paroxysmos redit, & hic denuo vel relaxatis membris omnibus, ut in iis, qui in lecto decumbunt, vel musculis quibusdam agentibus. Ultimam hanc tremoris speciem GALENVS *) iam distinxit, & τρομος atque πάλμωσ vocavit, eum nempe tremorem dixit, qui musculis agentibus accedit, qui vero in relaxatis & in quiete constitutis oritur, palpitationem. Involuntarii ergo huius tremoris species breviter iam erunt explicandae.*

§. IX.

In *sanis* hominibus ortus involuntarius tremor,

*) de Tremore, Cap. 3. & 4.

mor, praeter generalem eam causam, quam communem habet cum voluntario, influxum nempe liquidi nervei reciproce auctum & imminutum, a sanguinis quoque in musculos influxu poterit modificari. Notum nempe esse existimo Lectoribus meis ex physiologicis, ad muscularem motum requiri non liquidum modo nerveum, sed & arteriosum sanguinem, qui in musculos influens, calorem fibris ac flexibilitatem impertit. Sanguinis enim influxu in musculos intercepto, perit eorundem motus, nervis licet illaesis. Fieri itaque potest, ut, denegato in sanis etiam hominibus, ex variis causis, influxu sanguinis in quasdam partes, oriatur in iisdem tremor. Animadvertimus hoc potissimum in illis fieri duplici ex causa, altera *externa*, altera *interna*. Quod ad externam causam attinet, ea potissimum consistit in frigore. Frigus auctum efficit in cute sensationem, quam ex universali lege microcosmica excipit motus fibrarum constrictorius. Iam vero tota externa corporis superficies vasis abundat sanguiferis, haec autem omnia fibris instructa sunt orbicularibus (per princip. Anat.); harum itaque tono aucto, constringi vasa necesse est. Sanguis ergo pellitur versus interiora, & externas partes deserit. Idem valet de musculis manuum vel pedum, si liberalius ad eosdem frigus fuerit admissum, constrictas nempe partes sanguis deserit, hinc ad motum eas reddit ineptas. Iam cum varii muscoli semper agant, stantibus nobis vel sedentibus, ad hoc vero requiratur, ut influxus adsit liquidi nervei, fiet quidem, ut moveantur partes ab hoc influxu, sed cum calor & flexibilitas,

a sanguine dependentes, non adsint eo in gradu, quo ordinarie requiruntur, motus quoque diu durare non poterit; hinc motum cito excipiet partium relaxatio. Iam autem si sub tono auctiore talis partium relaxatio motum cito excipiat, tremor adest (§.IV.); hinc ab imminuto sanguinis a frigore influxu in externas partes oriri potest tremor.

§. X.

Sed idem ille influxus sanguinis in externas partes cessare etiam potest a causa *interna*. Cum enim in sanissimis ceteroquin hominibus animi occurrant pathemata, mirum sane non est, varios quoque inde in corpore excitari posse motus. Sub animi enim pathematibus plerisque cito se invicem excipiunt ideae; hae vero a liquidi nervei motu determinantur, hinc in plerisque animi pathematibus liquidum nerveum cito moveri patet. Hoc vero fluido celeriter in cerebro moto, fieri facillime potest, ut in minimos e cerebro oriundos canaliculos nerveos copiosius influat, hinc augeat eorundem rorum, fibrarum contractionem efficiat, ac spasmus sic excitet. Fieri itaque potest, ut ab animi adfectibus spasmus oriatur in variis corporis partibus. Neque hoc repugnat experientiae; timor enim, terror, ira, imo ipsum gaudium, spasmo comitantur, pro obiecti natura modo maiore, modo minore. In timore & terrore hic spasmus in externis potissimum partibus se manifestat, dum vasa contrahendo & versus interiora sanguinem pellendo, pallorem faciei & totius corporis efficit. Mirum proinde non est, frigus in his partibus oriri, &, ob influxum sanguinis

nis denegatum, denique tremorem (§. antec.). Sed cum hic spasmus in gravi terrore plures etiam partes, & musculos ipsos infestet, inde vero sanguinis influxus in has denegetur, utique hinc patet, musculos tales omnes tremere debere. Mirum proinde non est, sub gravi timore vehementissime tremiscere membra omnia; verum haec non sola causa est tremoris sub animi adfectibus occurrentis. Nam celer ipse fluidi nervei in cerebro motus efficere potest, ut modo in has, modo in illas partes influxus illius determinetur, hinc modo muscoli moveantur, modo eorundem antagonistae. Hoc eo facilius fieri potest, quo minus remota a se esse possunt initia nervorum ad propinquos musculos abeuntium. Si itaque inordinate moveatur liquidum nerveum circa nervorum principia, influet quidem in haec initia portio quaedam istius liquidi, sed exigua saltem, cum celeritas praeterlabentis fluidi nimia sit, quam ut plus influere in has partes possit. Influen- te sic liquido nerveo in brachii nervos, movebitur brachium, sed ad breve tempus, cum parva tantum influxerit liquidi huius portio; relaxabitur itaque statim post aliqualem motum musculus, & cum iam ad fibras antagonistae pervenerit subtile hoc fluidum, in has nunc influens, in contrariam partem flectet brachium, & cum hic etiam motus diu durare nequeat, efficiet motum in utramque partem reciprocum & cito se invicem excipientem, qui non alius est, quam tremor.

§. XI.

Subiracundia quidem in externis partibus nullus

lus adest spasmus, cum facies rubeat, & sanguis versus peripheriam corporis copiose pellatur; sed in internis tamen partibus adesse spasmus, docet non modo sanguinis ad peripheriam impetuosior promotio, sed bilis etiam expressio e ductibus biliaris & ipsa cystide fellea, a spasmo in vasis hepatis saeviente manifesto dependens. Imo sensatio in primis viis, sub ira in subiectis sensibilibus manifesto obvia, nonnunquam aliquid spastici demonstrat, cum, si nimia fiat fibrae constrictio, mutatio inde oriri debeat in nervis & anima, quam *sensationem* dicimus. Hic vero spasmus si gravior fuerit, alias infestare poterit partes, easque constringendo efficere, ut minuatür sanguinis in easdem influxus, hincque tremor oriatur. Fit inde, ut non nisi sub graviore ira tremor in artubus observetur. Quod autem sub vehementiori tali ira, praesertim cum indignatione quadam coniuncta, spasmus externas etiam partes occupare possit, docet manifesto sub eodem per intervalla occurrens pallor, cum rubore alternans. Observamus hoc in iis potissimum, qui ipsum irae impetum, ob certas quasdam circumstantias, vi quasi cohibent & suppressunt; in his enim modo pallent modo rubent genae, & nisi huic veluti torrenti exitus concedatur, universi inde corporis, paroxysmi febrilis ad instar, oriri potest tremor. Reliqui animi adfectus ex his facile possunt explicari, & pro spasmi diversitate modo mitiorem, modo graviorem excitare tremorem.

§. XII.

Praeter eum, quem antecedentibus §§. explicavimus,

vimus, modum, quo ex animi adfectu oriri potest tremor, forte & alius superest, quem pariter ulterio-
ri scrutinio dignum iudicamus. Filamenta nervea,
prout vero quam maxime simile est, sunt canaliculi
exigui, liquidum nerveum vehentes, adeoque ut
species tubulorum capillarium possunt considerari.
Iam si tubulum talem fluido quodam celeriter im-
pleas, adhaerens lateribus fluidum, cedere nescium,
sibi ipsi viam praecludit & sic ulteriorem ingressum
novae portiois ad tempus impedit. Contingere
autem hoc posse in nervis, licet sint adeo exigui, &
licet fluidum quoque nerveum sit admodum subtri-
le, nemo negabit, qui non ignoraverit, in subtilissi-
mis etiam partibus vim ac qualitates suas retinere
materiam corpoream, adeoque fluidum quoque
nerveum tam vi inertiae, quam attractione gaudere,
hinc adhaerere posse ad vasorum latera. Singulare
illud phaenomenon, quod saepius observamus, ab
hac potissimum causa dependere videtur, dum subita
tae saepe oritur & improvisa movendi impoten-
tia, si subito nimis motum aliquem suscipere inten-
dimus. Sic ex gravi terrore saepe plenaria oritur
movendi talis impotentia; dum enim, ob pericu-
lum imminens, citissime membra movere conamur,
& sic fluidum nerveum nimia celeritate & impetu
influit in nervos, illud sibi ipsi viam praecludit, ut
ingredi in eos amplius nequeat. Optime hoc quo-
que in illis animadvertimus, qui nimio terrore per-
culsi, vel nimia ira agitati, aperto ore frustra conan-
tur vocem aliquam proferre, & quibus vox fauci-
bus haesit, ut cum Poëta loquar. Ex eadem quoque
C
causa

causa tremor in talibus animi adfectibus poterit derivari. Liquidi enim nervei influxu ad tempus cessante, fibra relaxatur; restituito eodem restituitur tonus, adeoque reciproce aucto eodem & restituito ori-ri omnino debet fibrarum tremor (§. IV.).

§. XIII.

Ast & in sanis hominibus observamus nonnunquam tremorem involuntarium, neque ex animi adfectu, neque ex frigore vel alia externa causa ortum, sed ex praegressa compressione, vel nimia constrictione partium a voluntariis musculis excitata. Observamus hoc in iis, qui vel manu aliquid prehensum nimis arte tenent, vel per tempus aliquod corpus in situ quodam praeternaturali tenere coacti fuerunt. Causa huius tremoris facili negotio eruitur. Si quis enim in praeternaturali aliquo & minus commodo situ corpus diu tenere cogitur, tunc in musculos agentes maior copia determinatur liquidi nervei. Hoc vero fluidum, ad modum omnium corporum, vim inertiae possidet, qua motum semel susceptum per tempus aliquod continuat. Ab animi itaque arbitrio non statim cessabit influxus liquidi nervei in illam partem. Hinc continuato hoc influxu, continuabitur motus; verum, cum ex animi imperio aliorum iam determinetur fluidi nervei motus, hinc minuitur influxus, adeoque reciproce tantum, superata resistantia, influet & tremorem tali ratione excitabit.

§. XIV.

Considerato sic tremore in sanis ceteroquin hominibus, absque sanitatis aliquo detrimento occurren-

currente, iam ad *morbosum* nos convertimus *tremorem*, qui cum vel continuus sit, vel per certa intervalla recurrat (§. VIII.), eum primo considerabimus, qui *continuo* aegros affligit. Huius causas exposituri, monendos esse censemus Lectores, omnes causas morborum vel esse *proximas*, vel *remotas*, vel *occasionales* sive *procatarticas* (per princip. Pathol.); hinc & huius affectus non solum proxima, sed & remota & occasionales causae erunt determinandae.

§. XV.

Quod *proximas* causas attinet, eae in influxu continuo liquidi nervei, sed brevissimis intervallis se excipiente, erunt quaerendae. Talis enim influxus per momentum durans, statimque rediens, efficit tonum modo auctum, modo remittentem, adeoque tremorem (§. IV.). Fit autem influxus talis involuntarius, si fibrillae nerveae principium in cerebro ita inflectatur, ut quomodocunque eo promotum liquidum nerveum semper influere debeat. Hoc vero ut eo rectius intelligatur, ex physiologicis repetendum hic erit, dari in corpore motus continuos diastalticos & systalticos, qualis est cordis & arteriarum, hosque motus fieri invitis nobis, ac absque voluntatis imperio quoque alterari & mutari. Motus huius causa debet esse continuus liquidi nervei influxus in fibras musculares, hinc necesse est, ut ita dispositae sint fibrillae nerveae circa principium suum, quo ex eo loco, ubi secernitur utilissimum hocce fluidum, continuo propria vi in easdem recipiantur. Fieri hoc potest, si versus inferiora incurvata fuerit fibrilla, tunc enim proprio pondere intrabit
fluidum

fluidum nerveum; si autem fibra versus superiora recurvata fuerit, tunc ascendere cogetur, quod non fiet, nisi accedente impulsu quodam, quem anima singulari modo, nobis adhuc incognito, producit. Si itaque status fibrae, ultima tali ratione incurvatae, quibuscunque demum ex causis mutetur in priorem, tunc mutabitur quoque dispositio ad motum, isque fiet in partibus, voluntati alias subiectis, praeter voluntatem. Hic vero brevissimus sic oportet, cum fluidum nerveum, quod ordinarie non ea in copia fecernitur, ut motus continui musculorum etiam voluntariorum produci debeant, tanta nequam adsit in quantitate, ut non interrupto motu possit influxus continuari.

§. XVI. Quod ad antecedentes remotas causas huius adfectus attinet, eae utique in naturali fibrillarum nervearum debilitate & molitie nimia erunt quaerendae. Nervi enim, licet in omnibus subiectis molles sint, constant tamen ex elementis duris, adeoque fibrillae nerveae, ex his elementis compositae, certum quendam gradum duritiei possident, qui ex duritiae partium elementarium & earum cohaesione determinatur. Quo itaque minor est partium cohaesio, eo magis molles sint oportet & flexiles, & cohaesio- nis iste gradus pro diversitate subiectorum diversus est. Oportet itaque ut ultimae nerveae fibrillae citius flecti in iis possint, quam in aliis subiectis. Fieri ergo in talibus subiectis facile potest, ut in ipsa origine etiam nervi inflectantur, adeoque dispositionem, in antecedenti §. expositam, non adipiscantur.

Diuu-

Diudicari hic nervorum status ac ad adfectum hunc dispositio facile potest, ex ipsa subiecti sensibilitate: cum enim qui teneros adepti sunt mollioresque nervos, sensibiles admodum sint, utique idcirco hi quoque admodum erunt sensibiles. *Occasionalis* vero inflexionem talem fibrillarum nervearum producens *caussa*, generaliter facile determinatur, quod in vehementiori motu fluidi nervei consistere debeat. Si enim concipias fibrillam talem nerveam, ordinarie versus superiora recurvatam, ut non nisi iuxta impellentis animae directionem influere queat liquidum nerveum, & ponas, fluidum hocce celerrime aliquando influere in talem tubulum, ager hoc in eiusdem latus oppositum. Iam si vis fluidum hoc impellens admodum fuerit magna, totus tubulus inde eodem modo poterit incurvari, prout in canalibus plumbeis, ad aquae ductus apratis, animadvertimus, si vis aquae magna fuerit & in latus tubi incurrens. Celerrimus vero talis influxus liquidi nervei fieri potest, vel sub animi adfectibus gravioribus, vel sub morbosa convulsione, qualis in epilepticis observatur. Robustioribus, iisque quarum fibrillae sunt duriores, influxus talis impetuosior, etiamsi celer sit, non nocebit; sed sub naturali dispositione, fibris admodum flexibilibus existentibus, incurvatio talis contingere utique poterit.

§. XVIII. Ad alteram iam accedimus tremoris speciem, ad remp[er] cessantem, sed per intervalla redeuntem.

Hic generalis talis causa, quae in praecedenti adfectu allegata fuit, locum habere nequit, cum influxus liquidi nervei non fiat continuo, sed modo augetur, modo cesset. Latere itaque haec causa non potest in ipsis solidis partibus, sed in earundem tantum determinatione erit quaerenda. Cum vero hic tremor vel in iis occurrat, qui in quiete sunt constituti, vel in iis tantum, qui musculos movere conantur, priorem casum primo considerabimus. Qui quiescere videntur, ii quosdam musculos vel revera constringunt, vel non. Prius fit in omnibus, qui erecti, sed quieti, vel stant, vel sedent. In his, licet quiescere videantur, plures muscoli agunt, non caput modo, sed & truncum corporis totum in erecto situ servantes. Si itaque in talibus subiectis tremor observetur corporis, ea ad hanc classem non pertinent, sed ad sequentem potius. Oportet itaque ut tremor talis involuntarius occurrat decumbentibus aegris, in quibus neque caput, neque alia quaedam pars musculari actione sustinetur. In hoc itaque casu necessario adesse debet causa influxum liquidi nervei ad has partes determinans. Fieri hoc potest ex *phantasiae* quodam *vicio*, quo certa quadam hora, redeunte idea morbi, fluidum nerveum determinatur ab anima, sed ex obscuris ideis agente, ad has vel illas partes. Idem vero accidere debet ob defectum ipsius *liquidi nervei*. Si enim fluidum hocce, sub tremore in fibrillas transiens, tandem deficiat in ea parte, cessabit hinc quoque eiusdem influxus, indeque dependens tremor. Sed & *irritatio* in parte quadam occurrens aliquid ad tremorem talem confer-

conferre potest. Ab irritatione enim augeri adfluxum liquidi nervei, & ad certam partem determinari, docet excipiens irritationem motus, ab influxu liquidi nervei necessario pendens. Et hae erunt principales & proximae tremoris huius artuum praeternaturalis causae.

§. XIX.

Antecedentes remotae causae tales esse debent, quae vel disponunt phantasia, vel defectum fluidi nervei inducunt, vel ad irritationem in parte quadam ansam praebent. *Phantasia* disponi potest vel a praegresso animi nimio adfectu, quale quid in iis omnibus animadvertimus, qui ex animi quodam adfectu mente capti sunt, & in quibus continuo recurrit idea, quae ad illud pathema animi occasionem suppeditavit; vel ab ipsa sensibilitate animi peculiari, qua fit, ut qui singulari quadam gaudent phantasiae vi, facile ad motus tales data occasione determinantur. *Defectus liquidi nervei* induci potest vel a laboribus nimis ac motu musculorum diuturno, sub quo continuo hoc fluidum dissipatur, vel a nimio animi moerore, sub quo itidem hoc fluidum eiusque secretionem minui, corporis debilitas, hunc animi adfectum excipiens, manifesto docet; vel a nimia studiorum intemperantia, vel a nimis humorum excretionibus, sanguinis potissimum & seminis, vel etiam a diaeta prava, sub qua neque sanguis bonus & sufficiens generari, nec ab eodem in cerebro effici potuit secretio. *Irritatio* tandem vel sanguinis aliorumque humorum per minima vascula circulantium spissitudinem, vel acrimoniam pro causa agnoscit,

scit, adeoque ab iis omnibus rebus produci poterit, a quibus vel spissitudo, vel acrimonia sanguinis inducitur, quae, prout ex pathologicis constat, vel a regimine pendent, vel a diæta.

§. XX.
 Quod *occasionales* tandem attinet *causas*, eae tales erunt, quibus vel phantasia sensibilis ad actum determinatur, vel constitutio singularis sanguinis in hanc vel illam partem ita modificatur, ut irritatio in eadem succedat. Erunt autem inter has non minime *animi adfectus*, qui praesentem phantasiae sensibilitatem quam maxime determinant; praeterea quae partem debilitant omnia, veluti lapsus & ictus graviores, qui dum humorum alliciunt congestiones versus caput, irritationi ansam praebent. Porro quoque huc referri merentur graviores in diæta & regimine errores, maxime refrigerationes & crapulae. Ab his enim non modo valde commovetur sanguis, adeoque si vel spissus fuerit, vel acris, irritationibus facile locus conceditur; sed & liquidum nerveum ipsum a vini potissimum assumptione in irregularem motum impellitur, ut, praesente partis debilitate, irregulari dein modo influat. Manifesto haec omnia animadvertimus in febribus intermittentibus, quarum tremor pertinet ad eam, de qua iam egimus, tremoris speciem. Hic vero tremor a subtiliori irritatione, per miasma febrile inducta, oboritur, unde non modo sanguinis influxus, ob indertam vasorum contractionem, impeditur, & frigus sic excitatur, sed ob irritationem ipsam influxus liquidi nervei redditur irregularis.

§. XXI.

§. XXI.

Quod ad alteram iam attinet speciem tremoris, sub *motu musculari voluntario* tantum evenientis, is quoad ipsam causam a priori quam maxime differt. Cum enim hic membra non tremant, si in quiete fuerint constituta, patet inde, neque influxum liquidi nervei ex causa interna ad musculos voluntarios determinari, neque irritationem adesse posse, quia haec etiam tunc adesset, si musculus voluntarie non moveretur. *Causas* huius adfectus *proximas* determinaturi, ad id potissimum attendere debemus, quod sub ordinario musculorum motu accidere solet. Notum vero est ex physiologicis, ad eundem requiri contractionem fibrarum muscularium, ab influxu liquidi nervei dependentem. Haec autem contractio per determinatum aliquod tempus duret necesse est, si motus inde sequi debeat proportionatus; si itaque contractio fibrae non tam diu duret, quam quidem ad motum illum producendum necesse erat, motus semper interveniente relaxatione impediatur, adeoque reciproca oriri debet contractio & relaxatio, hoc est, *ipasmus*. Fiet hoc, si fluidum nerveum *defectu* peccet; tunc enim non tantum aderit huius fluidi, quantum requiritur, ad motum hunc per determinatum aliquod tempus conservandum & continuandum. Si itaque musculus quidam moveri debeat, & idcirco fluidum nerveum iubente anima influat, influxus hic cessabit, si sufficiens copia eiusdem non adfuerit. Relaxari itaque debet membrum, & sic motus eiusdem per tremorem interrumpi.

D

§. XXII.

§. XXII.

Sed cum praeter influxum liquidi nervei, robur etiam fibrarum muscularium determinatum requiratur, hinc motus rite perfici non poterit, si nimia fibrarum adsit debilitas ac relaxatio. Si itaque in debilem fibram influat liquidum nerveum, contractio quidem inde sequetur, sed haec tam diu durare nequit, quam ad motum membri requiritur; hinc relaxatio orietur sub ipsa actione, & hoc modo necessario sequi debet tremor a debilitate.

§. XXIII.

Cum autem omnis musculus suum quoque habeat antagonistam, sequitur inde, ut reciproce, modo in musculum motorem, modo in antagonistam, influente liquido nerveo, reciprocus quoque talis tremulus motus oriatur. Potest itaque oriri tremor a reciproco influxu liquidi nervei in musculum eiusque antagonistam. Hinc si anima liquidum nerveum ad certam quandam fibram dirigit, ut sequi inde debeat motus, illudque non in hanc modo, sed & in adiacentem antagonistae fibram influat, tunc tremor inde exiguus orietur sub ipso motu. Si vero fluidum non ad fibram illam ab anima dirigatur, tremor quoque inde non orietur, adeoque quiescentibus membris talis tremor excitari nequit.

§. XXIV.

Remotae huius tremoris causae eae omnes erunt, quae vel defectum inducunt liquidi nervei, vel debilitatem fibrarum. Hae vero cum in antecedentibus iam uberius expositae sint, merito hic eandem demonstratione superfedemus. Idem quoque

que de occasionalibus causis valet, quae ex antecedentibus facile intelliguntur. Ad ultimam vero causam, influxum nempe liquidi nervei in musculares fibras earundemque antagonistas reciprocam, occasionem praebet nimis celer liquidi nervei impulsus, ex quo nempe fit, ut, directo ad certas fibras hoc fluido, simul ad antagonistas propellatur, & dum semel hanc viam ingressum fuit, eandem alio quoque tempore facile iterum seliget, indeque efficietur, ut, quotiescunque fibrae hae moveri debeant, insimul antagonistae moveantur. Nimis acceleratus autem talis liquidi nervei impulsus oriri debet ex gravi aliquo animi pathemate, potissimum terrore, qui proinde occasionalis esse potest causa huius affectus.

§. XXV.

Exposita sic formali ratione tremoris, eiusque causis demonstratis, ad exempla iam nos convertimus, quibus explicari & illustrari antecedens theoria queat. Memorabile sane tale exemplum refert Perillustris L. B. de SWIETEN, magni BOERHAAVI dignus commentator, *Comment. in Aphorismos eiusd. Tom. II. pag. 132.* his verbis: *Vidi in hac urbe (Leidae, ut puto,) virum, qui in aetatis vigore dormiens, horrendo tonitru fragore expergefactus, fulmine domum incensam esse credidit, & postea in talem tremorem totius corporis incidit, ut nullus omnino musculi voluntatis imperio mobilis, ab illo fuerit immunis. Vivit in hoc statu per viginti annos, in reliquis sanus, & foribus suis semper assidens, praeter euntibus miserrimum spectaculum praebebat, dum*
 D 2 tam

tam valido tremore concuterentur omnes partes corporis, ut media quamvis hyeme caleret atque ruberet, imo & sudore saepe disfluere. Dum dormiebat, cessabat tremor, vel saltem admodum minuebatur, redibat autem simulac evigilaret. Facile intelligitur, tremorem huius viri horrendum referri debere ad primam tremoris speciem, continuum nempe (§. VIII.), cuius idcirco causa erit continuus fluidi nervei in organa sensoria influxus (§. XV.). Remotam huius tremoris causam animi adfectus esse affirmavimus, id quod hoc exemplo egregie confirmatur. Dum itaque horrendo tonitru excitatus fuit homo, ac incensam esse domum existimatus, facile patet, eum propinquitate periculi maximi motum, omnes musculos voluntarios ad motum citissimum disposuisse. Impulsus itaque est maxima vi liquidum nerveum, ut in omnes voluntarios musculos infunderet; ab ingenti vero hac vi fibrillae nerveae in cerebro ita inflexae sunt, ut dein continuo, praeter voluntatem, in eas transferret liquidum nerveum, indeque tam vehemens tremor omnium musculorum fuerit excitatus. Unde vero sub somno imminutus fuerit tremor, haud difficulter perspiciunt, qui, sub somno liquidum nervei influxum in omnes musculos voluntarios imminui, non ignoraverint. Imminuto vero influxu liquidum nervei in musculos, is quoque debuit imminui, qui reciproce accedebat; hic autem tremoris erat causa, adeoque tremor quoque, tanquam effectus, imminui debuit.

§. XXVI. Aliud virginis cuiusdam exemplum, ibidem p.
 185. adfert iam citatus Vir summus, quae, quamvis
 quotidianis laboribus corpus satis firmum haberet, ex
 subito tamen metu in tremorem molestissimum totius
 corporis inciderat, atque postea a levissimis causis re-
 didit malum, licet roborantibus, antihystericis, ner-
 vinis remediis diu usa fuisset. Simile ex TVLPPIO
 addit exemplum virginis pallidae, & habitus plane
 pituitosi, quae per integrum triennium tremorem
 talem periodicum passa est. Sed hoc sane singulare
 circa illam fuit observatum, ut primo omnia mem-
 bra occuparet, deinde vero in sola brachia & cru-
 ra desineret. Durabat autem paroxysmus ad duas
 circiter horas, una cum raucedine & vocis suppres-
 sione. Tremor in utraque pertinet ad *classem se-*
cundam (§. VIII.); quænam vero ex his causis hic
 locum habeat, erit determinandum. In priore casu
 phantasiae vitium magis inculpandum videtur, cum
 ex animi adfectu originem duxerit. Nota est vis
 phantasiae, iuxta quam, ex lege combinationis idea-
 rum, quae semel coniunctae fuerunt ideae, eas, una
 redeunte, denuo coniungit. Cum itaque in sana cete-
 roquin virgine, ob animi adfectum & inde enatum
 spasmus, maior fuerit sanguinis in masculos vo-
 luntarios influxus, sanguis autem ad motum sem-
 per requiratur, hinc ortus inde erit tremor (§.
 IX.), qui augeri potuit ab irregulari commotio-
 ne liquidi nervei, modo in hanc, modo in illam par-
 tem magis influentis. Iam si data occasione idea
 huius metus, licet obscure, rediit, facile hinc quo-
 que

que simul excitatus inde in corpore spasmus rediit, una cum ab eo provocato tremore. Quid? quod ab alio animi adfectu denuo irregularis redditus liquidi nervi motus influxum modo in has, modo in illas partes irregularem reddere, & hac ratione tremorem augere facile potuit.

§. XXVII.

Quod ad alterum vero casum attinet, in eo irritatio potius videtur locum habuisse. Color pallidus & habitus pituitosus cachecticam pro dunt corporis constitutionem, ac spissitudinem idcirco atque dyscrasiam sanguinis magis acrem. Vocis suppressio atque raucedo sub hoc adfectu obvia, manifestam demonstrant sanguinis in variis corporis partibus stagnationem. Vocis enim suppressio a nervorum ad linguam abeuntium compressione proficisci potuit, quae a sanguinis in cerebro stagnatione, indeque subsecuta vasorum expansione, induta est. Raucedo infarctum pulmonum indicat, a spisso sanguine, vasa pulmonum oppilante, profectum. Cum itaque fibrae, ob habitum pituitosum, videantur nimis fuisse relaxatae, vero quam maxime est simile, sanguinis circulum admodum fuisse retardatum, adeoque facile eiusdem in musculis etiam voluntariis accidere potuisse stagnationes. A stagnante vero sanguine distensa fuere vasa, ac irritati hinc nervi, unde oriri potuit tremor (§. XVIII.). Quo diutius vero haec sanguinis stagnatio duravit, eo diutius quoque durare debuit irritatio & pendens tremor. Potuit itaque fieri, ut, ob maiorem debilitatem brachiorum & pedum, diutius ibi

in

in vasis inclusus haeserit sanguis, adeoque composito iam in toto corpore motu, continuari is tamen adhuc in his partibus potuit.

§. XXVIII.

Memorabilem tremorem in unica tantum corporis parte, post tertianam obortum, describit HAGEN DORNIVS in *Ephemer. Acad. Natur. Curios. Decur. I. An. VI. Observ. XV. p. 25.* Inter singularia, inquit, puto, referri iure poterit ille tremor linguae, cum spasmio faciei coniunctus, quem die 1. Maii 1674. in puerulo quodam rustico, annum cum dimidio tunc agente, observare licuit. Hic per aliquod tempus febrili consistatur paroxysmo, tertianam mentiente. Parentes, ut id genus hominum asolet, ad nescio quae externa mox accessum faciunt. Cessavit quidem inde paroxysmus, sed in eius locum succedit tremor modo dictus linguae, puerulo antehac insolitus. Adfertur itaque ad me alioquin optime sanus, & panem similagineum me praesente comedens. Intueor eundem curiose, animadvertique velocissimum adeo frequentissimumque linguae motum, ut viperam lingua velociter vibrantem eum imitari dixisset. Palpitante sic lingua, & muscoli subsultarunt faciei. Quaesivi in causam, sed nullam dare potuerunt. Hinc nervina mox in usum traxi, iussique ut de pulvisculo, quem ex C. C. antepileptico cum specifico cephalico concinnavi, mane & vesperi, quantum cuspidi cultri capi potest, ex rob sambuci exhiberent: linguae vero & musculis faciei frequenter illinerent aquam apoplecticam meam, cum spiritu salis

*lis ammoniaci succinato iusta proportione remissam.
Ita ex his unice integreque convaluit puerulus.*

§. XXIX.

Ex hac relatione facile intelligitur, irritationem, a stagnatione sanguinis in lingua obortam, totius morboſi adfectus fuiſſe cauſſam. Tertianam enim prægreſſam, & muſculorum faciei ſubſultus, irritantem quandam præſto fuiſſe cauſam manifeſto docuerunt. Confirmat hoc faciei ſpasmus, qui non niſi ab irritatione obortus eſſe potuit. Diſcuſſa vero, ope ſpiritus falis ammoniaci ſuccinati & aquae apoplecticae, ſanguinis ſtagnatione, ceſſare quoque inde pendens morbus debuit.

§. XXX.

Aliud triſtiſſimum exemplum exponitur *L. c. Ann. cit. Obſ. 148. p. 206.* de iuvene quodam artem chirurgicam addiſcente, qui per aliquot hebdomades hoc affectu totius corporis laboravit, ſub quo inſimul loquelam amiſit, una cum auditu & viſu, reliquisque ſenſibus internis & externis, interim tamen alimenta & potulenta adſumebat, quamvis nihil, niſi adplicato forti enemate, egereret. Iungebatur huic affectui ſudor fortiſſimus foetidiffimusque, ita ut aeger pro deſperato habitus iam fuerit, quamvis dein congruorum remediorum ope priſtinam recuperaverit ſanitatē. Videtur, niſi omnia me fallunt, hic motus fuiſſe ſpecies catalepticoſos cum tremore coniunctae. Sed cum cauſſae nullae in ipſa relatione fuerint enarratae, de antecedentibus cauſſis addere nihil poſſumus.

§. XXXI.

§. XXXI. *Primae classis tremorem eodem anno p. 308. exponit Carolus RAYGERVS: Civis, inquit, ut ligna pro officio suo necessaria, & in loco quodam Danubio vicino iacentia, salvaret ex undis, ultra tres horas quandoque usque ad axillas in aquis mansit (erat autem tempus hyemale sub finem mensis Ianuarii). Domum reversus, penes fornacem fortiter calefactam decubuit, statimque lassitudinem sensit omnium membrorum. Aliquot diebus elapsis in singultum incidit tres dies durans. Inde restitutus intra anni spatium visum in sinistro, mox in dextro oculo amisit, utrisque tamen externe bene constitutis. Post triennium articulorum doloribus horrendis corripitur, quibus supervenit tremor perpetuus in hunc usque diem durans. Manifesta hic tremoris causa est summa partium debilitas, a nervorum relaxatione oriunda. Docent hoc lassitudinis sensus, & orta gutta serena, cuius ratio formalis consistit in resolutione nervi optici. Constricta nempe a frigore maximo externa corporis superficie, sanguis versus interiora actus & versus caput ruens, nervos nimis compressit, unde tonus eorundem imminutus, & forte fibrarum in capite situs paullulum mutatus fuit. Ipsae vero musculares fibrae, ex nimia irritatione, a frigore excitatae, debilitatae, dum humores propellere non potuerunt, stagnantes hinc circa articulationes impuri humores artuum dolores excitarunt, quorum vehementia totum nervosum genus in consensum trahi facile potuit, ita ut fibrillae nerveae in cerebro inde magis quoad situm etiam alterari potuerint,*

tuerint, ut dein eam acquisiverint directionem, ex qua tremorem continuum oriri posse demonstravimus supra (§. VI.).

§. XXXII.

In iisdem *Ephem. N.C. Dec. III. Anno I. Obs. 64. p. 91.* matronae cuiusdam ex morbillis afflictæ describitur tremor, statim ab invasionis primo momento ad tertium usque diem durans, quo dein mortua est. Huius causâ manifesta est acre illud miasma morbillosum, continuo irritans partes, & simul, ob resolutionem maiorem, virium maximam prostrationem inferens (§. XIX.). Quae vero de frigoris effectu §. antecedent. dicta fuere, ea confirmantur notabili quodam exemplo *Dec. III. Anno IX. Obs. 115. pag. 205.* adducto. Refert nempe ibidem *D. Samuel LEDERLIVS*, pannitonforis cuiusdam filium 2. annorum, postquam se hyemali frigori exposuisset liberalius, & spiris, vino Grünbergensi inebriatis, ventriculum onerasset, circa mediam noctem aegre habuisse, & vomitu vehementi omnia e ventriculo contenta exturbasse. Vomitus mater herbis stomachico-carminativis, externe applicatis, statim sistit, quo sopito totius corporis ortus est tremor, cum pavore fere continuo. Restitutus puer congruis medicamentis, ita fuit enervatus, ut nec amplius stare, nec pedem movere potuerit. Concurrit hic frigus, tenelli corporis nervis maxime inimicum, & irritatio a vino Grünbergensi, in tenellum ventriculum ingurgitato, unde nervorum primo in ventriculo, deinde in toto reliquo corpore oriri debuit inordinata constrictio, delatis scilicet ad M.S. acidis & acrioribus impuritatibus.

§. XXXIII.

§. XXXIII. *Singulare adhuc modo adductis iungere liceat exemplum tremoris cuiusdam, a D. Sam. LEDELIO Dec. III. Anno VII. Observ. 26. p. 203. relatum: Iuvenis barbitonsor (verba damus ipsius auctoris) hocce ipso anno 1700. ad affinem alterius eiusdem artis vocatur; annuo pretio ad radendam barbam conductus. Prima vice suo bene praeest officio, altera autem comparens, singulari afficitur alteratione. A pollice nempe pedis sentit lenem dolorem per totum nervosum genus repetere, cum tremore manuum tanto, ut nec novaculam tenere potuerit, sudore frigido, totam frontem humectante, anxietatibusque cordis intercurrentibus. Domum repetens, bene habet, venas secat, barbato reinvenescere facit, omniaque illa, quae artis sunt, facili manu ex voto tractans, in hocce tantum subiecto infelix. Ridiculae huius rei in infelice barbitonsore causam immerito sane in nescio quod fascinum reiecit LEDELIUS, & aliquid in conclavi haesisse autumat, quod tantum excitare valuerit tremorem. Hinc iussit ut atam foetidam secum portaret, imo & sacculos adpendi curavit ex hyperico aliisque herbis, una cum mercurio in nuce avellana incluso. Cessavit malum, cuius causam merito solum existimamus timorem juvenis, in arte sua adhuc novitii, qui dum barbam refecuit viro forte quodammodo magis spectabili, dum timorem, de sinistro huius operationis successu conceptum, celare conatur, incidit in symptoma omnibus timidis commune, manuum nempe tremorem. Domum redux, ab ipso Medico causam in fascinum reieci audit; confirmatus hinc in tali phantasia, semper*

semper timidus reddi debuit ad hominem illum accedens, quamvis aliis, qui domum eius petebant & vilioris forte conditionis fuerunt, egregie caput & barbam tondere potuerit. Tolli potuit phantasiae hoc vitium ad pensis sacculis, quibus dum pulchre se adversus fascinum munitum esse existimat, timore cessante cessare quoque debuit tremor. Accidit ergo huic iuveni, quod plerisque evenit, qui fascino se correptos existimant, ut nempe phantasia aliquo modo habeant depravatam, & quam extra se quaerunt symptomatum causam, ipsi in sinu suo gestent.

§. XXXIV.

Expositis sic & confirmatis per exempla causis tremoris, facili negotio nunc quoque addi posset practica pars, qua, indicationibus pro tremoris varietate formatis, remedia huic adfectui tollendo convenientia possent explicari; verum, cum nimis angusti temporis limites ulterius progredi non permittant, nihil de therapeutica tractatione addemus, contenti saltem singulari quadam observatione, quam coronidis loco merito adhuc adducendam arbitramur. Doctissimus nempe *D. Ioseph. LANZONI* in saepius citatis *Ephemerid. N. C. Dec. II. Anno IX. Obs. 146. p. 232.* propositum olim a *Petro FORESTO* & a *Thom. BURNERO*, in *Tbesauro med. pract. Lib. XVII. Sect. 14.* pariter laudatum tremoris remedium, urinam nempe propriam, ad partem trementem adplicatam, exemplo famuli ex nimia venere in magnum tremorem prolapsi, itemque rustici, qui tremorem omnium partium adplicatione urinae pueri calidae curasset, denuo confirmat. Et sane remedium hocce in debilitate partium roborando aliquid efficere posse non diffitemur; sed dignum tamen esse, quod ulteriori experientia pluribusque exemplis confirmetur, insimul iudicamus.

T A N T V M.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATIO

S. P. D.

IOANN. PETR. EBERHARD,

PHIL. ET MED. DOCTOR.

*Requirat utique diei huius festivitas, ut non sum postremus
eorum, qui summos in Medicina honores ex animo TIBI
gratulantur. Ex quo enim TE novi, AMICISSIME MOLL-
WEIDE, singularem plane atque laudabilem in TE animad-
vertere licuit ardorem, ad intima salutaris doctrinae sacra-
ria penetrandi. Non modo enim Theoriam medicam una
cum Anatomia, Botanica atque Chemia, sed & Praxin hu-
ius scientiae ab Illustribus & Excellentissimis huius Acade-
miae Galenis ita edoctus es, ut egregia quaevis atque prae-
clara aegri a TE iure meritoque expectare queant. Sed ne-
que fundamentum totius rationalis Medicinae, Physicam, ne-
glexisti. Assiduum enim TE habui, in Physicis meis scholis,
auditorum, & non sine insigni quadam voluptate TVAM per-
spexi diligentiam. Merito igitur gratulor EXPERIENTIS-
SIMO ATQUE CONSULTISSIMO PATRI TVO tam egregie
doctum beneque moratum FILIVM, optoque ut cum optimo
FRATRE TVO, qui tecum honores Doctorales cepisset,
fulcrum atque solamen senectutis Eius evadas firmissimum.
Ita Vale, VIR DOCTISSIME, & me quod facis ama. Dab.
Halae in Regia Frid. d. VI. Sept. MDCCLII.*

Freund! dem die Redlichkeit recht aus den Augen sieht,
Der keine Falschheit kennt, der die Verstellung flieht;
Dir, dem ein treues Blut in allen Adern schläget,
Und der das beste Herz in seinem Busen trägt;
Dir sey, Du bist es werch, ein Denckmah! sonder Pracht,
Ein wohlgemeintes Blat aus Freundschaft zugebacht:

E 5

Zwar

Zwar wag ichs jetzt nicht in ungewonnenen Bildern,
Den Werth, der Dich erhöhet, mit Nachdruck abzuschildern.
Auch dieses Blatt ist nicht von Mängeln gänzlich rein,
Doch darf ich Deines Ruhms ein froher Zeuge seyn.
Du tadelst daher nicht die Dir geweyh'ten Triebe,
Dein Beyfall billigt selbst den Ausbruch reiner Liebe.
Dein Schicksal, das Dich jetzt dem Ziele näher führt,
Und das Dein edles Haupt mit frischem Lorber ziert.
Dies würckt in meiner Brust das reineste Vergnügen,
Ich sehe Dich im Kampf, ich sehe Dich im Siegen.
Du schlägst der Zweifel Heer recht Großmuths voll zurück
Und gründest durch Dich selbst Dein dauerhaftes Glück.
Nun reicht Dir schon von frisch gebrochenen Zweigen
Den wohlverdienten Kranz, ihn um Dein Haupt zu beugen.
Die Weisheit ist Dir hold, und krönt jetzt Deinen Ruhm,
Sie blieb von Jugend auf Dein Ziel, Dein Eigenthum.
Nun erndtest Du davor die Frucht des müden Schweisses,
Dies ist der edle Lohn wohl angewandten Fleisses,
Drum füg ich auch nichts mehr zu Deinem Ruhme bey
Als daß Dein künft'ig Glück stets unverändert sey.
Die Vorsicht wird gewiß die treuen Wünsche hören,
Die sich in meiner Brust mit heisser Inbrunst mehren,
Und vor Dein künft'ig Wohl dem Himmel eifrigst flehn
Der stets vor Dich gewacht. Und muß es denn geschehn,
Daß Dich des Schicksals Schluß mir aus den Armen rücket,
So bleibe Dein Bild doch stets in meine Brust gedrückt.

Aus zärtlichster Gefinnung gegen den Hochedlen Herrn
Doctorandum, als seinen innigstgeliebten Freund,
setzte dieses hin

Johann Daniel Gerlach,
von Brieg aus Schlesien, Medic. Cultor.

Gelehrter Freund! auf gründliches Wissen,
Wornach Dein Geist sich stets beflissen,
Erlangst Du jetzt den Doctor-Hut;
Ich nehme Theil an dieser Freude
Und wünsche, da ich von Dir scheide,
Der Höchste mache alles gut.

Er

Er laß' in allen Deinen Curen
Beständig seiner Vorsicht Spuren
Und seinen treuen Beystand sehn,
Es müsse Dir in allen Dingen
Nie fehlen, sondern stets gelingen,
Und was Du längst gewünscht, geschehn.

Ich selbst will, werd ich dieses hören,
Mit Dir des Höchsten Huld verehren,
Und mich entfernt mit Dir erfreun.
Ich will, so lang ich werde leben,
Dir Proben meiner Freundschaft geben,
Und stets Dein Freund und Diener seyn.

Dieses sind die aufrichtigen Gesinnungen, welche beständig begehrt wird, des Hochedlen und Hochgeehrtesten Herrn Doctoris ergebenster Freund und Diener

Carl Gottlob Stumpff, d. A. G. E.
aus Landeshut in Schlesien, Oppon.

Freund! verzeih' es meiner Liebe,
Die gegen Dich zu zärtlich brennt,
Als daß sie Dir die frohen Triebe
Bey Deiner Freude nicht bekennet;
Ich nehme Theil an Deiner Ehre,
Und wünsche Dir von Herzen Glück,
Und wann ich nun ein Dichter wäre,
So mach' ich jetzt mein Meister-Stück.
Allein Du kennst ja meine Schwäche,
Die diesem Vorsatz Einhalt thut;
Und was ich jetzt zu wenig spreche,
Das machst Du selber wieder gut,
Ich kan in Wahrheit sicher schweigen,
Den Meditrine spricht mich frey;
Sie will Dir heute selbst bezeugen,
Wie rühml:ch Deine Tugend sey.

Wolan! sie öffnet schon den Tempel,
Wohin sie Dir mit Lächeln winkt,
Und lehret da durch Dein Exempel
Was uns der Fleiß vor Ehre bringt.

D Jüng

D Jüngling! rufft sie, komm und siehe,
Die Frucht der ausgekauften Zeit,
So öfnest Du Dir auch durch Mühe,
Den Eingang in die Ewigkeit.

Du aber nimm die Lorbeer-Crone,
Gepriesner Freund! von ihrer Hand,
Und gehe denn mit diesem Lohne
Nun wieder in Dein Vaterland.
Indessen nehmen meine Triebe
Durch dis Verhängniß auch nicht ab;
Denn liebst Du mich, wie ich Dich liebe,
So liebst Du mich bis in Dein Grab.

J. J. Meder, b. A. G. Best.
aus Emden in Ost-Friesland, Oppon.

SI je n'ai pas pû jouir de l'honneur de Vôtre amitié & de vôtre conversation aussi long tems, que le souhaitent tous ceux, qui Vous frequentent; je n'en connois pas moins le prix & je n'en regrette pas moins la perte. Elle me seroit extremement sensible, si d'un autre coté je ne prennois pas toute la part, que je dois aux honneurs que Vous allez recevoir & que Vous meritez si bien. A ce jour donc, à ce jour heureux, qui couronne vos travaux, je ne songerai pas à ce que je perd; je ne songe pas qu'à cette dignité, dont on va Vous revêtir & à laquelle votre merite donne plus de lustre, que Vous n'en recevez. Jouissez à l'avenir du fruit de vos peines. Faites en jouir ceux des humains, qui auront besoin de vôtre secours, & qui ne manqueront pas de s'en bien trouver. Mais au milieu du bonheur, qui est inseparable du merite, n'oubliez pas un ami, qui Vous souhaite toute sorte de prosperité, & qui Vous felicite de tout son coeur de cette nouvelle dignité. Je suis avec toute l'estime imaginable

Monsieur,

Vôtre très-humble & très-obeissant Serviteur
Adam Iacob Steuer.



Halle, Diss., 1752 AIM


ULB Halle 3
002 612 291



82







BB. L.VIII. No. 23. XXXIII. No. 677.

*1d
1752*

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
TREMORE ARTVVM
EIVSQVE CAVSIS

23

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. VII. SEPT. A. S. R. c180cclii.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IVLIVS IOANNES MOLLWEIDE
EGLENSIS MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

4

